

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
 DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
 ELECT. SAXON. HAEREDE, ETC. ETC.

DE

PSEUDO-MATHEMATIS,

SEU

IGNOBILIORIBUS PARTIBUS  
 MATHESIIS, CHRISTIANO  
 PHILOSOPHO INDIGNIS,

PRÆSIDE

DN. HENRICO *Klausing* /  
 Mathem. P. P. Extraord. & Ordinis Philof. Adscript.

*In Academia Vitembergensi,*

ANNO M DCC V. XI. NOVEMBR.

H. L. Q. C.

PUBLICÈ DISPUTABIT

AUCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANUS SIGISM. *Röhrensee* /  
 Vitembergensis.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.

Mathem.

226/2





DEO. OPT. MAX.  
REGI.  
POTENTISSIMO.  
AC. PRINCIPI. ELECT.  
PATRIÆ. PATRI.

NEC. NON.  
ALMÆ. MATRI.  
ACADEMIÆ. VITEM-  
BERG.

HAS. STUDIORUM. PRIMITIAS.  
HUMILLIME. OFFERT.  
AUCTOR.





§. I.



Ultae sunt et graves celeberrimorum *Occasiones* Philosophorum de Pseudo-Mathe-*disputandi* matis qverelae, quas propterea de-*explican-* plorant, quod vident, vanissimas *tur.* quasdam superstitionisissimasque artes nobilissimis scientiis Mathematicis adjungi ac admisceri. *In perpetuum,* inquit Sturmius, *ex finibus scientiarum Mathematicarum excludenda sunt omnia* ματαιώματα ista, quae sub specie lucis nihil nisi densissimas tenebras offundunt, nec incautos solum, verum etiam viros caeteroquin doctissimos ac multo rerum usu praestantissimos fallunt, ac fascinosos ita tenent, ut, quicquid alii contradicant, fidem tamen vel nullam, vel exiguam illis habeant. In Philof. Elect. P. II. Disp. 1. C. 2. et paucis interjectis paragraphis: *Utinam* inquit, *exportandae essent aliquo ad Insulas Infortunatas vanissimae illae artes, ars Genethliaca, Prognostica etc.* L. C. Sturmius, Celeberrimi supra citati parentis Filius, in der Gründlichen Widerlegung der Astrologie und aller andern Wahrsager Künsten/ ejusdemque Apologiis, totus est in ejusmodi vanissimis scientiis rejiciendis. Quod ipsum summo jure factum esse existimamus, quia nactus est adversarium Joh. Ludovic. Hannemannum, Prof. Kil., qui non quidem duriori, at pertinaciori tamen calamo videtur esse usus, quam ae-

A 2

qvum



quum erat, et res ipsa postulabat, in seiner Vertheidigung der Astrologie, ejusdemque Defensionibus. Si dicendum, quod res est, illae et ejus generis conquestiones aliae nos primum commoverunt, ut de hoc speciatim argumento cogitaremus. Praesertim cum videamus tot esse, non solum viros eruditissimos, verum etiam Principes atque Optimates, qui et ipsi his artibus mirifice delectantur, et eos fovent, quos sciunt harum artium esse peritissimos. Atque ego quidem haud scio, an plures possint recenseri harum artium patroni ac defensores, quam inimici et impugnatores: Tot sunt, ac tantae molis perscripti libri dicam, an volumina, pro istis artibus conservandis ac defendendis. Nec illud nos vereremur afferere, quod plura sint numero, non tamen pondere graviora, argumenta, pro defendendis istis artibus, quam improbandis. Scilicet, quemadmodum alias fucus solet admoveri et color peregrinus non auro puriori, aut egregia forma praeditis, sed deformibus et numis adulterinis. Neque mirum cuiquam videri debet, tantam esse multitudinem eorum, qui Pseudo-Mathemata laudibus extollunt: Imitantur enim praecones, qui rebus vilissimis, magno saepius clamore excitato, plus laudis tribuunt, quam rebus praestantissimis alioquin ab aliis conceditur. Interim vera existimatio nobilissimarum scientiarum Mathematicarum valde minuitur, quando cum istis ignobilioribus artibus commiscentur, non aliter, quam cum scoriae & feces metallicae puriori auro admiscentur. Quare, cum multum interesse videatur ad decus et veram laudem Mathesios conservandam, ut ignobiliores a nobilioribus partibus secernantur, et quo loco priores sint habendae, ostendatur, dabimus operam, ut veris partibus Mathematicis vera laus tribuatur, at Pseudo-Mathematis exigua, aut prorsus nulla, relinquatur. Quo ipso illud consequemur, ut omnes intelligant, Pseudo-Mathemata esse Christiano Philosopho quam maxime indigna.



§. II.

Vera Mathematica, omnium consensu Philosophorum, *Descriptis* ea sunt, in quibus immota quaedam ac necessaria conclusio *vera Ma-* est, seu demonstratio, quantitatis. Unde rectissime Vos- *thesi et* sius in Tract. de Univ. Math. Nat. C. III. *Mathematici, in-* Pseudo- *qvit, rationes etiam probabiles refugiunt, nec nisi ἀποδείξεις Mathe-* admittunt, quibus nihil certius est, nihil, quod animum aequè *matris,* reddat ἀμετάπτωτον, magis etiam quam physicae demonstratio- *Mathefi-* nes solent. Tantum differt Mathesis vera a superstitioni- *os verae* bus, hariolationibusque, et ne vero quidem similibus prae- *partes re-* dictionibus, ut nihil magis eidem sit contrarium. E con- *consentur.* trario Pseudo-Mathematica illa sunt, in quibus aut nulla evi- dens et certa, aut inepta admodum cernitur quantitatis de- monstratio. Illae partes, quae veris Mathematicis annu- merantur artibus, non sunt unius omnino ejusdemque ordinis. In aliis quomodocunque evidens est et certa demonstratio, in aliis evidentior, in aliis denique eviden- tissima et longe omnium certissima. Quae Mathesios Novae ac Universalis vocabulo significantur Mathematica, quae Metamathesin, et Algebram complectuntur, com- munissimas juxta ac evidentissimas demonstrationes con- tinent: a quibus non multum differunt illae, quae Geo- metrae instituunt et Arithmetici. In his enim omnium maxime cernitur veritatis vis, et quasi lux clarissima, qua omnes reliquae Mathesios Universae partes illustrantur, et, magnam partem, reliqua etiam Philosophia. Quae au- tem partes Mathesios praeter has supersunt, disciplinae sunt σύννομοι τῆ φυσικῆ, et secundum Aristotelem, φυσικώτερα μαθηματα, ac possunt dici coloniae Mathesios, quomodo Geo- metria, cum supra commemoratis partibus Metropolis erit omni- um scientiarum Mathematicarum, uti recte judicat Vossius cit. loc. cap. 17. Vulgo impuras aut mixtas illas partes propterea appellamus, et quasdam ex illis mathematica in- feriora. Harum artium est magnus numerus, & Astro- nomiae, Chronologiae, Gnomonicae, Geographiae, Opti- cae,



caae, Musicae, Architecturae, Phoronomicae, Stathmicae, Mechanicae et aliarum disciplinarum nominibus significantur. Quae omnes etiamsi primis et puris partibus Mathesios pares putandae non sint, propterea, quod in quibusdam deficiunt ab evidentissima Mathematicorum demonstrandi ratione: pro veris tamen et genuinis partibus Mathesios habendae sunt, quia rationem in rebus exponunt quantitatis, et, si non in omnibus, in plurimis tamen, mathematica via utuntur demonstrandi. Quod probe tenendum propter eos, qui vel Architecturam vel Mechanicam, vel alias etiam artes vere Mathematicas, ex numero partium Mathematicarum excludunt, vid. Vosium cit. loc.

§. III.

*Pseudo-Mathematica recensentur, et ordo disputandi constituitur.* Quae autem nunc consequuntur, artes divinantes, Astrologia, vana illa quidem et superstitiosa, Geomantia, Ars punctoria, Chiromantia, et, si quae plures sunt ejusdem generis artes, quae vulgo Mathesios vocabulo significantur, illae omnes Mathesios nomen non merentur. Quod ipsum nemo sic interpretetur, quasi omnium generum divinationes et praedictiones prorsus velimus improbare. Fiunt enim certae non solum conjecturae a peritis aliarum artium, verum etiam ab ipsis Mathematicis, v. c. Arithmeticis, quando omnium generum aegnigmata solvunt, Astronomis, quando futuras temporum praediciunt vicissitudines, eclipses, et plurima alia hujus generis phaenomena. Illas tantummodo divinationes, quae in antea commemoratis artibus, commendantur, illas, cum ipsis istis artibus, rejiciendas esse judicamus: quemadmodum relatum accepimus, eas a B. Knorrio in Praelect. Mathematicis, quas, dum viveret, habebat, ad popularem intelligentiam admodum accomodate descriptas fuisse, quod sint ein Schandfleck der Mathesios. Nunc nostrum est, ut sigillatim de singulis idem paulo copiosius hoc loco demonstremus. Utemur eo ordine, quem supra citatus Hannemannus in fine seiner Bertheidigung suppeditat, ubi,  
Wir

Wir



Wir theilen/ inquit, alle artes divinandi in drey classes. Erstlich sind die licitae notae, als die Astrologia judiciaria, Chiromantia, welche fünfferley ist / Geomantia und Metaposcopia, welche beyde auch fünfferley sind (1.) punctualis, (2.) linealis (3.) arithmetica, (4.) characteristica, (5.) kabalistica. Zum andern sind artes divinandi secretae licitae, wovon die Welt nichts weiß/ sondern nur einige Göttergebene Menschen/ welche eine reine Seele und unbeflecktes Gewissen haben/ und deren fundament ist ein eiffrig und ernstlich Gebet zu Gott. Zu dem ist es auch besser/ daß dergleichen artes divinandi mysticae, und unbekant bleiben/ damit man nicht Perlen vor die Säue werffe/ ist auch nichts davon geschrieben/ sondern bestehen bloß in traditionibus. Drittens ist eine grosse Anzahl artium divinandi illicitarum, welche des Verdammten Geistes böse Erfindungen sind / und ein pactum cum Diabolo, entweder explicitum, oder implicitum, praesupponiren. De his postremis nos in fine breviter strictimque, de caeteris copiosius, et sigillatim disputabimus.

§. IV.

Astrologiae vocabulo, hoc quidem loco, non intelligimus nobilissimam Astrorum scientiam, quam propterea, *Quomodo ab Astro-* distingvendi causa, hodie Astronomiam nominant: sed *logia dif-* nam illam Astrologiam, quam alias judiciariam, alias *ferat A-* τελεσµατικὴν, alias, et, speciatim quidem, *πολιτικὴν καὶ γε-* νεθλιακὴν appellant. Secundum hanc vocabulorum *stronomia,* interpretationem, quando Astronomiam vulgo nominamus, *exponitur.* praeclaram illam scientiam intelligimus, quae in cognitione coeli siderumque progreditur, quantum potest, deque illorum natura et motu atque aliis innumeris propemodum phaenomenis, ubi potest, demonstrationes tradit vere Mathematicas. Ad hanc ea referimus omnia, quae cum ratione disputari possunt ex principiis Mathematicis de coelo et stellis, etiam ea, quae praedici solent de futuris rebus secundum coeli siderumque cursus et circuitus: scilicet, non more atque methodo Astrologorum admodum inepte,



inepte, atque insolenter, nescio ex quibus, et quam vanis persuasionibus, sed vel ex certis principiis, vel vero tamen quam maxime simillimis argumentis. Quamobrem etiam si Astronomia habeat, in quibus augeri, emendari, mutari ac perfici possit; non tamen, ut Astrologia, admittit talia, quae mentita prorsus et falsa, quae superstitiosa, et Christiano Philosopho sunt indigna.

§. V.

*Astrologia divinans describitur, et generatim dividitur.* Astrologia itaque ἀποτελεσματική ea est, quae tota, quantum quanta est, falsa est, et tot animum fabularum ac superstitionum plena, imo iudice Caelio Rhodigino Lib. II. c. 12. Daemonis inventum, ut alii non potuerint satis mirari, qui fiat, factumque sit, quod tot, ac tam praecleari Philosophi ad eam non solum defendendam, verum etiam magnis voluminibus inferendam animum applicuerint. Nos hanc causam subesse opinamur, quod multi multa perscripserint, quae ad Astrologiam pertinent, non ut eadem probarent, aut promoverent, sed ut vanitatem illis inesse magnam, seque ipsos illorum non expertos fuisse, aliis demonstrarent. Quod exemplo liceat confirmare B. Strauchii, qui in hac quondam nostra Academia in lucem edidit quidem Aphorismos Astrologicos, sed Astrologiam ipsam magnopere improbavit, et saepissime tanquam ineptam prorsus rejecit, vid. Aphor. 1, 2, 21, 42, etc. Per scientiam plerumque aut artem describi solet Astrologia. Sed enimvero ne artis quidem vocabulo digna est, tantum abest, ut scientia dici mereatur. Ars enim, secundum popularem vocis significationem, illa est, quae cognitio penitus, et in unum spectantibus exitum praeceptis continetur, vel, ut cum Philosopho loquamur, quae aliquid cum ratione docet efficere. At vero, Astrologi, nihil omnino cognitum perspectumque habent aut demonstratum, nihil prorsus quod cum ratione agendum suscipiant idemque perficiant. Magno quidem utuntur apparatu et tabularum, et calculorum, sed nihil, (quod tamen proprium est scientiarum,) ex veris

veris



veris principiis demonstrant. Omnis eorum demonstra-  
tio in fabulis nititur Poetarum, et nescio quibus, et quam  
occultis, mereque fictis siderum qualitatibus, quas credere  
imbecillis et superstitiosi animi est argumentum. Inscri-  
bitur Astrologia de Apotelesmatibus, seu siderum viribus  
effectibusque, non quidem illis, qui cum ratione stellis at-  
tribuuntur, et ad Astronomiam pertinent: sed qui ex, ne-  
scio quo, stellarum aspectu posituque inepte admodum fin-  
guntur. Nunc partes recensebimus vanissimae hujus ar-  
tis, ut, vel ex sola earum commemoratione, quam minime  
ad Mathesin referri possit, et quam indigna Christiano Phi-  
losopho sit, intelligatur. Non enim est, uti recte Gassendus  
judicat in Phys. Sect. II. Lib. VI. c. 2. *cur in ipsis copiose refellen-  
dis tempus teramus, cum satis videatur esse, eas enumerasse, ut, quam  
sint non modo incertae, sed etiam futiles, manifestum fiat. Ec-  
quis enim non statim videt, omnia esse mera figmenta, utpote ex me-  
ro arbitrio et sorte, ac nulla, aut vanissima, occasione excogitata?*  
Sic autem opinamur, non incongrue Astrologiam a multis  
distribui in partes duas. *εισαγωγικὴν* alteram appellant:  
altera est *στωδης*.

§. VI.

Prior pars Astrologiae tractat de vocabulis Astrologi- *Prior pars*  
cis, deque tabularum multarum usu, et similibus. In hac *Astrologiae*  
parte dici non potest, quanto labore dent operam Astro- *divinan-*  
logi, ut cum ratione insaniant. Audacter enim omnia fin- *dis recen-*  
gunt, et ea comminiscuntur, quae Philosopho sobrio ne *setur.*  
per somnium quidem in mentem venirent cogitare: et his  
tamen omnibus, tanquam solido fundamento, omnia su-  
perstruunt. Ita, v. c., (omnia enim eorum commenta re-  
censere nimis longum foret,) de orbe signifero seu Zodia-  
co, ejusque signis ac partibus, quas quaeso nugastradunt,  
et stolidissimas ineptias? alia signa volunt esse imperantia,  
alia obedientia, foemina alia, alia masculina, foecunda  
iterum alia, alia sterilia, violenta alia, alia non violenta.  
Quaedam ignea seu cholericæ, quaedam terrea seu melan-  
cho-

B

cho-



cholica, quaedam aerea seu sanguinea, quaedam aquosa seu phlegmatica esse volunt. Arietem capiti praeficiunt, taurum cervici, geminos brachiciis, cancrum pectori, leonem scapulis, iliis virginem, aliis partibus humani corporis alia signa. At quanta cum temeritate, et quam inepte? De Planetis docent, alios esse beneficos, alios maleficos, foecundos iterum alios, alios steriles, masculinos alios, alios foemininos, alios denique indifferentes. Sed vero quid aliud est, si hoc non est cum ratione insanire, eademque abuti? Amicitiam porro docent colere inter se planetas alios, alios iterum odia inter se alere inveterata. Hic si causam quaesiveris, quare in tanto odio apud Saturnum Mars sit, imprimisque Venus, et contra, quare Jovem Solem et Lunam Saturnus tanto amore complectatur? nulla redditur ratio, praeterquam quod haec omnia in praecipis eorum sic continentur. Totam coeli faciem in duodecim domos distribuunt, ex quibus primam, quam *ἠρόσκοπον* plerumque appellant, vitam, mores, et habitudinem corporis docent significare: secundam spei, lucri, divitiarum etc. esse indicem: tertiam fratres, cognatos brevique indicare itinera: quartam parentes et haereditates, quintam liberos et socios seu amicos, sextam valetudinem tam adversam quam prosperam significare, ne de caeteris aliquid hic jungamus. In his, nescio, quam multa et quam minime congruentia jungant, idque iterum sine omni addita causa, ut dubitemus propemodum, an absurdius quid dici possit aut cogitari. Porro docent, planetarum, reliquarumque stellarum, cujuscunque vel ordinis vel magnitudinis sint, vires multum inter se discrepare, crescere item et minui, pro diverso, in aliis atque aliis, vel domibus, vel domuum partibus, positu, item pro diverso, uti loquuntur, aspectu, conjunctione, oppositione et distantia. Ex his distributionibus nova oritur planetarum stellarumque omnium divisio, in domos proprias, nocturnas, diurnasque, in detrimenta, exaltationes, casus, gaudia, et thronos.

Quae



Quae vocabula, quia primo statim intuitu, monstri aliquid  
 alere videntur, vel sola, quid de re ipsa statuendum sit, osten-  
 dunt, Astrologos scilicet pueris esse quam simillimos, qui  
 res quandoque vilissimas, v. c., numos cupreos, vel plumbe-  
 os, nunc hoc, nunc alio iterum ordine collocant, sibi que  
 postea per suadent, nescio, quam maximas pecunias, ingen-  
 temque aureorum summam. Quod maximi momenti esse  
 existimant, sideribus, planetis, stellisque fixis, non signifi-  
 candi solum vim tribuunt Astrologi, verum etiam efficiendi  
 eas res, quae prorsus fortuitae sunt, quae sanctissimae sunt,  
 vel ad mores et affectus hominum, eorundemque digni-  
 tates officiaque spectant, quarum omnium causam nemo  
 in sideribus quaeret aut planetis, nedum in stellis fixis: Sed  
 vel in sollicita DEI providentis cura, divinitusque excita-  
 tis motibus, vel in virtutis studio, vel denique in istis causis,  
 a quibus vere proficiscuntur. Ita, v. c., apud Argolum Eph.  
 p. 47. *Saturnus dicitur aegritudines inferre Melancholicas, hu-  
 morum defluxus, epidemiam, omniumque penuriam ad victum ne-  
 cessariorum, quippe natura destructivus. Mars febres tertianas,  
 ardentes, acutas, sanguinis eruptiones, inflammationes, mortem  
 denique ipsam repentinam efficit. Jupiter e contrario, cum agna-  
 ta Venere, dicuntur omnium afferre ubertatem, nisi fortassis in  
 loco dejecto afflicti a maleficis, aut aliunde impediti fuerint. Mer-  
 curius cum maleficis conjunctus, grandines, fulgura, tempestates,  
 terrae motus, tabes, tusses, convulsiones, epilepsias, etc. cetera, cum  
 bonis vero conjunctus, bona dicitur decernere. Sic iterum Sa-  
 turnus creditur homines significare et facere pigros, stultos, in-  
 vidios, avaros, melancholicos, mendaces etc. Jupiter humiles,  
 verecundos, sobrios, religiosos, etc. Mars furibundos, prodigos,  
 obscenos, etc. Sol ambitiosos, fortes, continentis, etc. Venus  
 delitiosos, luxuriantes, svaes, venustos, etc. Mercurius versu-  
 tos, parcos, agiles, etc. Luna vagabundos, tenaces, debiles, etc.*  
 Vid. Sturmium in Philos. Elect. P. I. Exerc. 13. et, quos ibi-  
 dem commendat alios, Nos enim pudet omnia hic per-  
 censere commenta Astrologorum, inque illis porro enu-  
 meran-



merandis et oleum et operam perdere. Plura vide vel apud solum Schonereum in Isag. Astrol., qui omnium fere copiosissime aliquot libris dicam, an voluminibus, haec Astrologorum figmenta explicuit, et, quemadmodum ea perscripsit, ita etiam ipse credidit. Interim illud satis intelligitur ex haecenus a nobis commemoratis, quod tota pars prior Astrologiae divinantis tantum modo meris fabulis contineatur et commentis. Nunc ad partem ejus posteriorem.

§. VII.

*Astrologia divinantis* Astrologiae pars posterior, seu εσιώδης iterum dividitur in duas alias partes, secundum plerosque Astrologos, *pars posterior, quatenus πολιτική* qui, etiamsi meras nugas tractent, ordinem tamen aliquem adhibent: πολιτικήν alteram, alteram γενεθλιακήν appellant. πολιτική toti Politiae, hoc est, integris rebus publicis, civilibus, totisque regionibus ac imperiis sua fata praenunciat, scilicet ex haecenus explicatis fabulis, quas fingunt Astrologi de coelo et sideribus, eorundemque motu. Nam, quae vel certo, vel probabiliter, praedici possunt de stellarum effectibus, v. c., de eclipsibus, de temporum vicissitudinibus, imo etiam de tempestatum commutationibus, non quidem speciatim, sed generatim consideratis, etc., ea non ad Pseudo-Mathemata et Astrologiam, sed ad Astronomiam referimus, quod semel atque iterum monendum esse existimamus. Astrologi enim speciatim in singulos annos, menses, imo dies et hebdomades, his atque illis regionibus certo praedicunt, ex, nescio quibus, coeli aspectibus, tempestatum vicissitudines omnes, imbres, nives, tonitrua, frigora, ventos, ac procellas, contagiones item, morbos, pestem, pacem, bella, tyrannos, et quae sunt ejus generis vel sexcenta alia, quorum omnium nulla vera ac determinata causa in astris, planetis, ac stellis fixis, eorundemque aspectibus quaerenda est, sed vel in solius Numini omnipotentis nutu ac potestate, vel in causis naturalibus, sub luna, ejusdemque orbe, positis. Nos in hac parte illud semper maxime mirati sumus, quod, cum Christiani esse

esse



esse et dici velint Astrologi, non sint veriti planetas, una cum quibusdam stellis fixis, quasi certos DEOS Deasque tutelares, certe tanquam summos omnium rerum administratores, aut gubernatrices, singulis regnis ac regionibus praeficere. Saturnum, v. c., una cum saturninis, Hassiae, Thuringiae, Vestphaliae, Dalmatiae, Graeciae, etc., imo etiam certis quibusdam civitatibus, v. c. Juliae, Cliviae, Montibus, Augustae Vindelicorum, Erfurto, et aliis praeficiunt, quo, utrum quid superstitiosum magis ineptumque dici possit, aut cogitari, non videmus. Jovem volunt esse Dominum et praefectum Hispaniae, Misniae, Sclavoniae, Hungariae, Lusitaniae etc. Quis enim omnes reliquas, quas hic sibi fingunt Astrologi, fabulas, recenseret? Ad alteram potius partem, quam γενεθλιακήν appellant, progredimur.

§. II X.

Sed, quo longius progredimur, hoc ineptiora, et ab *Quae in* omni vera pietate magis aliena invenimus commemoran- *Astrologiae* da. Solent enim in hac parte ex constitutione, positu- *divinantis* que stellarum, cum errantium, tum fixarum, qualis fuit *parte post-* tempore nativitatis, de cujusque, figillatim considerati, ju- *eriori, qua-* dicare ac praedicere ingenio, natura atque indole, deque *tenus γε-* toto vitae ejus genere, v. c. de morbis, de conjugio, de iti- *νεθλιακή* neribus, amicis, inimicis, liberis, divitiis, muneribus, hono- *est, conti-* ribus, imo quando, et cujus mortis genere, quisque supre- *nentur,* mum diem sit obiturus suum. Quorum tamen omnium *comme-* potestas summa, in solius Dei optimi maximi voluntate *morantur.* est posita, nulla in planetis, nedum stellis fixis, nisi fortassis velint, sidera totidem esse Deos Deasque, quod prorsus *ἀλογον* esset, et ab omni vera pietate quam maxime remotum. In hac iterum parte nos illud semper sumus maxime mirati, quamobrem, secundum veteres plerosque Philosophos, hujusmodi Genethliaci, κατ' ἐξοχήν dicantur Mathematici, cum nihil minus quam μάθησιν profiteantur. Ita in Codice etiam suo Juris Consulti lege quadam lata



omnes Mathematicos volunt ex provinciis et regionibus eji-  
 ciendos, et ne utiqvam tolerandos esse, Tit. de Malef. et Ma-  
 them. Cod., qui locus, uti ex contextu patet, de Astrologis  
 est intelligendus. In quam sententiam Coelius quoque  
 Rhodiginus Lect. Antiq. L. XIV. c. 9. qui inquit *Chaldaei*  
*olim nuncupabantur et Genethliaci, Augustini temporibus Mathe-*  
*matici, nunc Astrologi possim appellantur.* Enimvero vel ex  
 sola omnium partium haecenus instituta commemoratio-  
 ne jam satis intelligitur, vanissima esse omnia, et supersti-  
 tionis plena, quae et in parte hac postrema, et in universa  
 Astrologia continentur. Quod ipsum a multis aliis, inte-  
 gris, vel voluminibus, vel libris, vel capitibus, novimus esse  
 demonstratum. Vossius cit. loc. p. 217. Johannem laudat  
 Saresberiensem, Hieronimum Savonarolam, Johannem Pi-  
 cum, et Antonium Bernardum, Mirandulanos, Albertum  
 Pighium Campensem, Michaellem Medinam, Julium Syre-  
 nium, Johannem Lensaeum, et plures alios, quibus addi  
 possunt Alexand. de Angelis Libr. V. in Astrologos con-  
 jectores, Thomas Erastus in Epist. adversus Astrologos, Pe-  
 trus Gassendus, cum alias, tum imprimis Physic. Sect. II. Lib.  
 VI. integro, et in Animadvers. ad X. Lib. Dogenis Laer-  
 tii, Johann. Baptista Ricciolus in Almagesto Novo Part. I.  
 passim, Johann. Christophorus Sturmius in Philos. Elect.  
 P. I. Disp. ult. et alii. In quibus recensendis nos quidem  
 hoc loco non omnem adhibebimus operam, sed, alios po-  
 tius atque alios ex his conferendo, illud potissimum de-  
 monstrabimus, quod divinans illa Astrologia tota, quanta  
 quanta est, summo jure ad Pseudo-Mathemata referri de-  
 beat, et Christiano Philosopho quam maxime sit indigna.

§. IX.

*Astrologi-  
 am divi-  
 nantem  
 ad Pseudo-  
 Mathe-*

Ad Pseudo-Mathemata referendam esse Astrologiam  
 totam, primum ex eo intelligitur, quod nullam tradit  
 quantitatis veram demonstrationem, ex qua tamen sola  
 Mathesin omnem judicandam esse, omnes docent. Enim-  
 vero, quae in parte generali seu *εισαγωγικῆ* continentur,  
 nihil

nihil



nihil nobis nisi commenta sistunt, cum Poetarum, tum ipso-<sup>mata ve-</sup>  
rum quoque Astrologorum, in quibus omnibus ne vero <sup>ferendam</sup>  
quidem similis reperitur ulla ratio. Rectissime in hanc <sup>esse, de-</sup>  
sententiam Gassendus Loc. cit. cap. 2, recensitis ante omni-<sup>monstra-</sup>  
bus Astrologiae partibus subjungit: *Ecquis statim non vi-*  
*det, omnia esse mera figmenta, utpote ex mero arbitrio et sorte,*  
*ac nulla, aut vanissima occasione excogitata?* Quid si nos  
concederemus, coloris aut fulgoris occasione, vel intuitu  
appellationum Poeticarum, Astrologos adductos esse, ut  
fingerent sibi, v. c. Martem, quia rubicundum prae se fert  
colorem, idcirco exurere, atque adeo recens natos redde-  
re temperamenti ignei: Saturnum vero, quia splendor  
ejus subpallidus est, idcirco admodum refrigerare, et phle-  
gmaticos efficere. Jovem, propter gratum hominibus ful-  
gorem, beneficium esse, Martem vero et Saturnum, pro-  
pter colorem non aequè mortalibus acceptum, maleficos  
esse, id quod ex Ptolomaeo et Macrobio Gassendus refert  
cit. loc. Quam inepta quaesito et communi quasi cachin-  
no digna haec esset ratio? Quasi vero omnia, quae ru-  
brum prae se ferunt atque igneum colorem, necessario  
comburerent, quae pallent et candidam ostendunt for-  
mam, propterea quoque statim refrigerarent. Sic et ru-  
binus, carbunculus, et aliae rubri atque ignei coloris gem-  
mae urerent, calx vero, affusa aqua, quia albicat, tangentem  
refrigeraret. Haec profecto et hujus generis plures aliae,  
ne vero quidem congruentes, conjecturae, a Mathemati-  
cis demonstrationibus longissime abhorrent. De Luna  
plena habemus cognitum certo ac demonstratum, experi-  
mento facto uno atque item altero, quod ne minimum qui-  
dem caloris afferat rebus in hoc terrarum orbe eidem op-  
positis, quod tamen plurimos vidimus ex Mathematicis in  
hunc usque diem, sed falso, sibi persuadere propter ma-  
gnam in plenilunio lucis copiam: tantum abest, ut Mar-  
tis exigua lux tantam habeat vim comburendi, quantum  
sibi fingunt Astrologi. Sed demus et hoc, Martem esse ca-  
lidum

lib. 1. cap. 1.  
- in v. 11.  
- in v. 12.  
- in v. 13.  
- in v. 14.



lidum, et Saturnum esse frigidum. Num propterea uterque usque adeo maleficus censendus erit, ut nascatur nemo, quem non illico venenatis suis sagittis petant? *Cur non potius Mars suo nos calore fovere censeatur? Cur non Saturnus exaestuantibus suo potius recreet frigore?* Ut recte idem Gassendus quaerit. Propter colorem rubrum, quando Astrologi, Martem caeteris planetis esse horribiliorem, sibi fingunt, perinde nobis agere videntur, ac si quis rosam, quia rubro sanguineoque se colore notat, terribiliorem esse liliis, assereret. Quid, si concederemus, Mercurium propterea indifferentem dici apud Astrologos, hoc est, nec malum, nec bonum, quia Soli usque adeo vicinus est, ut raro se nobis conspiciendum exhibeat, ut vel propterea, bonus ne an malus sit, non potuerit dignosci. Num quis propterea Astrologos quoque excusandos esse censeat in eo, quando fingunt, Mercurium esse Hermaphroditum? Risu haec omnia esse digna existimamus, non Mathesios vocabulo, aut Scholis Mathematicorum. Imo vero illud hucusque cognitum habemus, tanto magis ab istis ineptis Astrologorum abhorruisse Philosophos omnes, quanto diutius in Scholis vere Mathematicis, et speciatim quidem, Astronomicis, commorati sunt. *Quantum enim Mathematici et Astronomi metiuntur, tantum Astrologi mentiuntur*, ut habet verbum illud, vulgo quod dici solet.

§. X

*Idem, sed aliis argumentis demonstratur.*

Quare quaeso ex duodecim illis orbis signiferi signis solam Virginem sterilem esse docent, et Pisces e contrario foecundos? Cur illa ad sterilitatem plurimum conferre dicitur, hi ad foecunditatem? An fortassis propterea, quod illa Virgo, hi autem Pisces appellati sunt, nescio a quonam, quave occasione, ut est apud Bedam, Lib. de Planet. et Signor. rat. et apud alios? Quid dicamus de eo, quod singulis planetis propria quasi tribuuntur domicilia in istis commemoratis signis? Nonne omnes planetae

tae



tae omnia signa aeqve pervagantur? Quare Soli et Lunae non nisi unum signum loco domicilii concedunt, caeteris bina? Cum tamen Sol singulis mensibus aliud signum ingrediatur, et Luna mense uno omnia signa pervagetur? Rectissime iterum Gassendus cit. loc. *quasi vero, inquit, Sol et Luna minoris sint juris, et minus mereantur de Republ. aetherea, quam planetae caeteri, ut ipsis tantummodo singula palatia, caeteris bina concessa sint.* Quare Solis domicilium docent esse in Leone? An fortassis propterea, quod Leonis signum dicitur esse igneum? At illud fabula est, et nescio cujus, ac quam inepti Astrologi commentum. Sic fabula alia ex aliis nascitur apud Astrologos, nec ulla unquam additur vera demonstratio. *Caecum itaque oporteret esse, qui non vellet videre, horum omnium nihil unquam ulla observatione aut experimento constitisse, iudice Sturmio in Philos. Elect. p. 640.* Quid quaeso illud est, quod Lunae domicilium docent esse in Cancro, Veneris in Libra et Tauro, Jovis in Sagittario et Piscibus etc.? Scilicet eam causam ipsi addunt Astrologi, quod planetae in his signis sint creati. Sed enimvero, quam lepida haec iterum est fabula? Quis Jovem diceret esse creatum in duobus simul signis? Nobis ita persuasum est, Poetis olim, tanquam fabularum omnium auctoribus, licuisse huius generis commenta sibi fingere, at Mathematicos ea non decere, quorum proprium est officium, omnia ex veris atque immotis deducere principiis, et caetera rejicere, quae demonstrari nulla, ne vero quidem simili, ratione possunt. Ut nihil de eo dicamus, quod totam coeli faciem in duodecim domos distribuant, nescio quot, et quam maxime discrepantibus dividendi modis, ex quibus eam, quae maxime est irrationalis, rationalem appellant: illud tantummodo inquiramus, quare illam domum, quae infra horizontem latet, primam esse velint. *Nonne illam domum, ut cum Gassendo loquamur, quae est in medio coelo, aut illam, in qua est Sol, oporteret esse primam, quippe cujus prae caeteris*

C

mani-



*manifestior esset ἐπέπυεα ? Quaero tantum, qui fieri possit, ut, quae est adhuc tota sub terra, efficacior ad vitam sit, quam ea, quae tota jam emerfit ? Si, quae domus incipit oriri, vitae domus est, quare non illa, quae incipit occidere, est domus mortis ? Cur octava potius homicida est, undenam isti tanta malitia ? Sed praestat in genere requirere, undenam domus speciales illas virtutes habeant : an ex coelo mobili ? At quorsum eadem coeli pars, quae in hac domo est felix, statim in alia domo erit iterum infelix ? An ex loco et spatio ? At quonam modo merae dimensiones tanta ac tam multiplici agendi vi gaudere possunt ? Quomodo quae in eadem Jovis Stella in domo decima destinabit dignitates, et quidem in nona Ecclesiasticos honores, ac deinde in domo octava vicina faciet ignobiles, insanosque et alia similia ? Praeterea licetne capere, cur, aut quomodo, dum quis nascitur, fratrum ejus fata in scribantur tertiae domui, parentum quartae, filiorum quintae, conjugis septimae, amicorum undecimae ? An quicquam manifestius est, quam totam accommodationem istam esse mere commentitiam ? Imo vero haec omnia usque adeo manifesta sunt, ut necesse habeant fateri etiam illi, qui videntur alias favere Astrologis, plena esse nugis omnia. Schottus, qui in cursu Mathematico Lib. X. cap. 5. n. 2. et 5. plura Astrologis concedit, quam fieri debebat, in fine tamen hujus libri, ex astris, fatetur, nihil praeter levem conjecturam haberi posse, et ne illam quidem. Vid. imprimis quoque Abdiam Trew in Discursu vom Grund und Verbesserung der Astrologie. Nos plura hoc loco non subjungemus, non solum propterea, quod omnia a multis aliis jam copiosissime sunt disputata, verum etiam propterea, quod persuasum nobis habemus, ex haecenus commemoratis luculenter satis jam constare, ea, quae in Astrologiae parte Isagogica continentur, omnia ad Pseudo-Mathemata pertinere.*

*Idem de  
postremis*

§. XI. De caeteris Astrologiae partibus idem est judicandum, quippe in quibus omnia prioribus multo sunt ineptio-

ptio-



ptiora, quod Schottus iterum cit. loc. ingenue fatetur *Astrologia* quando, quia ex astris, inquit, nihil, praeter levem conjecturam, haberi potest, stulte agunt et peccant, qui videntur genituris confirmantibus, sua et aliorum curiositate inquirunt fata, et tam incertis rebus fidem habent. Stultius agunt, et magis peccant, qui se res futuras ab hominum arbitrio pendentes certo posse praedicere dicunt. Perinde ut homines mendaces, sic etiam Astrologi, quando multa coeperunt mentiri in parte illa priori Isagogica, tum postea in caeteris partibus a mendaciis sibi non possunt temperare, sed, ut finem suum, nescio cuius vaticinationis gloriam, consequantur, omnia audacter fingunt, et cuilibet, quae libet, praedicunt, mercede plerumque conducti. In his omnibus nihil iterum cum ratione, aut secundum Methodum demonstrandi Mathematicorum, suscipiunt, sed ex supra recensitis fabulis omnia augurantur. Utamur exemplo uno: quando, v. c., singulis regionibus, imperiis et civitatibus, certos planetas praeficiunt tanquam creatos Deos, et longissime quidem diffitis provinciis eundem prorsus planetam; non habent, quam addant, ne minimam quidem, demonstrandi rationem, ut caetera, quae ejusdem prorsus generis sunt, non attingamus. Vid. de illis Gassendum Loc. saepius jam citato, speciatimque cap. 4.

§. XII. Neque vero ex eo tantum elucet, Astrologiam ad Mathematica pertinere, quod nullis utatur veris demonstrationibus, verum etiam ex eo potissimum, quod plurima complectatur, quae prorsus adversantur veris scientiis ac demonstrationibus Mathematicis. Hujus generis multa passim observavit Ricciolus, vid. Praefat. Part. I. Mathematica & Part. II. pag. 159., 185., 215., 298., 678., 737. etc. Nos ex innumeris paucissima commemorabimus. Omnium scientiarum licet consensu hodiernorum Mathematicorum constat, esse, concordem ordinem Planetarum, quem Ptolomaeo tanquam auctori adscribimus, falsum esse: at Astrologi eundem defendunt,



dunt, et perpetuo observant, in omnibus suis, vel prædictionibus, vel tabulis, vel calculis, quos identidem subducunt. Quando secundum omnes Mathematicos saniores evictum est et exploratum, lumen majus posse impedire minus, non contra: item, quod stellae in universum omnes nihil in inferioribus his regionibus efficiant, nisi illud, quod vel motu, vel luce, vel calore suo praestant. Astrologi contra et Genethliaci audacter asserunt, lumen minus posse impedire majus, et stellas non agere in haec inferiora per solum motum, lucem, aut calorem, verum etiam per, nescio quas, occultas qualitates, quas influentias appellant. Sed nimis longum foret omnia persequi, quia latissimus est campus, quem ingressi sumus, quare hic desistimus copiosius illud confirmare, quod ex numero verarum scientiarum, seu partium Matheseos merito excludatur vana illa ac divinans Astrologia, quippe quod ex hactenus disputatis satis jam intelligitur. Nunc ad alterum nos convertimus, ut ostendamus, Astrologiam Philosopho Christiano quam maxime indignam esse.

§. XIII.

*Astrologiam indignam esse Philosopho Christiano, evincitur.* Indignam esse Astrologiam Philosopho Christiano, primum ex supra jam disputatis patet. Nimirum, cum tota, quanta quanta est, nihil nisi fabula sit, et stolidum commentum, sua sponte relinquitur, Christianos eam non decere, quippe quos fabulae, praesertim illae, in quibus nulla est doctrina morum, maxime dedecent Tit. 1. 14. etc. Deinde idem illud ex eo cognoscitur, quod sacris literis adversatur, in quibus toties interdicitur Christianis Astrologia illa divinans, quoties cum hariolationibus, incantationibus, veneficiis, auguriis, idololatria Gentium, ac superstitione conjungitur, aut communi vituperatione prohibetur, aut gravissimis verbis accusatur et describitur. Vid. Jerem. X. v. 2. ubi ad vias Gentium, hoc est, idolatriam refertur, Levit. XX. v. 6, 27. Deut. XVIII. v. 10, 11, 12. Ubi una cum supra commemoratis vitiis aperte

te



te et simpliciter prohibetur, Esa. XLI. v. 23. XLIV. v. 25. XLVII. v. 10, 12, etc., quibus in locis graviter describitur et reprobatur Astrologia. Confer plerorumque horum locorum vindicationem, juxta ac explicationem apud Sturmium in der Abfertigung Bileams, ejusdemque Apologiis. Neque, si dicendum, quod res est, illae exceptiones Hannemanni in der Bertheidigung der Astrologie, ejusdemque defensionibus, nos potuerunt adducere, ut aliter velimus citata oracula sacra interpretari. Quo ipso nihil derogamus auctoritati celeberrimi alioquin Philosophi, sed rationes ejusdem, nec nobis, nec aliis, fecisse satis, tantummodo profiteamur, id quod, ut plenius intelligatur, pluribus rationibus nunc porro confirmabimus.

§. XIV.

Ex codice sacro, speciatimque ex illo Eccles. X. v. *Idem aliis* 14. Esa. XLI. v. 23. et aliis locis, constat, futurarum re- *rationibus* rum contingentium aut fortuitarum certam cognitionem *asseritur.* habere neminem, nisi solum Deum, qui omnia, tanquam praesentissima, intuetur, et quandoque etiam vel Angelos, vel homines, (non tamen per figmenta atque ineptias Astrologorum, sed per revelationes divinitus factas,) de futuris rebus contingentibus certiores fecit. Quamobrem, qui eam cognitionem ex Astrologorum vanissimis praedictionibus sibi arrogant, non solum vehementer errant, verum etiam crimen laesae erga DEUM pietatis committunt, quia se ipsos DEOS faciunt, ut est apud Esaiam cit. loc. At Astrologi hoc sibi sumunt, ac certam futurorum cognitionem sibi tribuunt, suntque in hoc ipso adeo audaces, atque arrogantes, ut ex coeli facie, siderumque positu diem ipsum extremum, et nescio quas res sanctissimas praedicere non vereantur, quod maxime adversatur sententiae Servatoris nostri Act. II. v. 7. *Mirum est, inquit Vossius, tam turpiter in hac parte se dedisse etiam hominem Christianum, eumque doctissimum: Petrum, dico, Alliacensem, Episcopum Cameracensem, qui in Lib.*



suo de Concord. Histor. et Astrol. divinantis, etiam diluvium Noae, Natalem Domini, et miracula ejusdem, omniaque denique prodigia ex Astrologia praesciri ac praedici potuisse arbitratur. Nos illud semper maxime sumus mirati, quod Astrologi non vereantur, ex suis fabulis horam mortis praedicere hominibus, et genus ipsum mortis, utrum beatus obitus sit futurus an minus. Quid enim fabulae istae ad fidem hominis conferrent, quid ad beatam mortem? Num signa erunt, an causa? Alterum altero est ineptius et magis impium asserere.

*Idem ulte-  
rius con-  
firmatur.*

§. XV. Atque haec vera causa est, quamobrem ex antiquis Patribus multi viri sanctissimi Astrologiam toties accusant, et fideles ejusdem usu interdiciunt, quoties vel minima de eadem differendi occasio se illis praebuit. Vid. Eusebium Praepar. Evang. Lib. VI. c. 8, 9. Basilium Homil. VI in Hexaemer., Chrysoft. in C. II. Matth., Hom. VI., et imprimis August. L. II. super Gen. ad lit., item L. V. de C. D. Cap. IV. VI, VII. et alias passim. Habent enim, quod nemo facile negabit, illae praedictiones superstitiosae vim magnam ad avocandos hominum animos, a vero, de providentia divina, sensu, a vero pietatis studio et precibus, adeoque ad perturbandas hominum mentes multum valent. Cogitemus hominem natura proclivem a laboribus ad libidinem, otium, et plurima alia hujus generis vitia, praetereaque semper audacem, et confidentem, cui Astrologi ex suis de siderum motu figmentis, omnia fortunata, divitias magnas, summam senectutem, et beatam mortem, (eo enim temeritatis progrediuntur,) promittant. Nonne hic postea avocabitur ab omni studio pietatis colendi timendique Deum, quia his commentis fidem adhibet? Nonne tandem cum jactura hujus et futurae vitae spe omni sua atque expectatione, quam eidem fecerant Genethliaci, frustrabitur, et id quidem magno suo merito? Sit e contrario meticulosus, qui nimium sollicitus est de rebus

bus



bus suis, cui aduersa et mala omnia praenunciarent Astrologi, morbos varios, egestatem, atque in rebus domesticis acerbitates multas, imo crucem, et mortem violentam. Nonne hic postea incipiet sidera magis timere quam Deum? Nonne, postpositis precibus, omnibusque amicorum saniorum consiliis, animum abjiciet ac desperabit, idque iterum suo merito, et permittente Deo, propter magnam illam superstitionem, qua sidera metuerat quasi totidem Deos. Ex his intelligitur facile, Astrologiam non solum prorsus inutilem esse, verum etiam maxime perniciosam. Quare magnopere probamus illud institutum, quo, cum superioribus his annis ratio temporum Juliana corrigeretur, status Protestantes Imperii Romani, communi quadam lege lata, praedictiones Astrologicas omnes prorsus interdixerunt, atque, ut ex Ephemeridibus ejicerentur, publice constituerunt. Turpissimum enim esse existimarunt, Christianos in fastis suis publicis tolerare velle ac promovere rem prorsus inutilem, plenamque fabulis ac superstitionibus maximis: Quo magis dolemus, decreto huic publico non satis fieri, neque in his nostris, neque in aliis finitimis regionibus. Quid dicamus de eo, quod attinet ad originem Astrologiae ex idolatria Gentium? de quo Gassendus, in Physic. Lib. VI. Sect. 2. c. 5., Vossius cit. loc., Sturmus in Philos. Elect. P. I. Diss. ult. et plures alii copiose differunt. Enimvero vel unicum hoc argumentum satis esse poterat ad deterrendos Christianos a vana ista Genethliacorum arte, quod non solum originem debeat Gentilium idololatriae, verum etiam eandem alat et maxime promoveat. Accedit illud, quod, qui Astrologiae se totos dedunt, ejusdemque praedictiones suscipiunt, ipsi plerumque admodum varii inveniuntur esse in omni vitae suae genere, aut obruti multis vitiis, ne dicam, inepti ad magnas res suscipiendas. Quod usque adeo mirum nemini esse debet: aliis enim dum virtutes et vitia, egestatem et divitias, omnem denique

que



que rationem vitae ac morum praenuntiant, quasi sui ipsorum oblitae, vel nullam, vel minimam suarum rerum curam gerunt.

§. XVI.

*Argumenta Adversariorum priora confutantur.* Sed enimvero non desunt Astrologis argumenta, quibus fucum facere solent, et incautis suas persuadere fabulas, quibus, restat, ut pro instituti nostri ratione respondendum. Primum distinguunt verum usum Astrologiae ab ejus abusu, quod unicum fere et praecipuum est argumentum Hannemanni adversus Sturmium. At enimvero, quis tandem usus erit Astrologiae, hoc est, ineptiarum anilium et fabularum, in quibus nulla est doctrina morum, sed multa superstitionis, idolatriae, atque impietatis argumenta? Perinde mihi agere videntur Astrologi, ac si distinguere vellent usum mendacii, idolatriae, superstitionis, atque impietatis maximae, ab ejus abusu. Nos supra jam satis demonstravimus, nullum omnino Astrologiae usum esse, at multa eademque maxima mala, quae ex eadem per se et sua sponte proficiscuntur. Deinde in sacris Literis praesidium malae suae causae quaerunt, citatis his potissimum locis Gen. I. v. 14. Judic. V. v. 20. Matth. II. v. 9, 10. Num. XXIV. v. 17. et aliis, in quibus, persuasi sunt, Astrologiae divinantis usum commendari et exemplis confirmari. Sed vero, si dicendum quod res est, longe alienissima sunt illa omnia; quod sigillatim et diligenter est demonstratum a Sturmio pecul. Tr. supra jam citato. Nos hoc loco paucissima repetentes, reliqua publicis disputationibus reservabimus. Primum denuo ac simpliciter rejicimus illam loquendi rationem, de usu Astrologiae divinantis, quippe qui prorsus nullus esse potest, ac ne fingi quidem debet. Deinde Gen. I. v. 14. sidera ac stellae, et in his praecipue, duo luminaria magna, dicuntur facta esse, ut distinguant diem et noctem, *facta sunt in signa et tempora*, hoc est ut sint signa temporum, secundum illam loquendi rationem, quam *ἐν δὲ δὴν* appellant, quae est

Vossii



Vos si ad hunc locum ex optimis interpretibus observa-  
tio. Signa itaque sunt stellae, non rerum in vita hu-  
mana contingentium fortuitarum, aut earum, quae in vo-  
luntate hominum sunt positae, sed dierum, mensium, an-  
norum, annique tempestatum, veris, aestatis, autumnii,  
hyemis, et e consequenti temporis seminandi, plantan-  
di, metendi, vindemiandi, navigandi etc. Quare hic lo-  
cus nihil valet ad Astrologiam divinantem, aut ineptas  
Astrologorum praedictiones defendendas. At vero, quia  
sunt, ex variis hujus loci interpretibus, qui in ejus ex-  
plicatione plura concedunt Astrologis, quam fieri debe-  
bat, et aequum erat, a quibus ne divus quidem Lutherus  
noster in Cap. I. Gen. excipiendus est, recte monuit  
Sturmius cit. loc. Derwegen erinnere ich alle/ die sich mit  
Auslegung der Schrift nicht behelffen können/ sich von den  
Astrologis durch diesen schönen biblischen Spruch nicht ver-  
führen zulassen. Sonne/ Mond/ und Sternen dienen/ daß  
sie Gottes Wunder- Zeichen machen. Sie machen Got-  
tes Bundes- Zeichen/ wie von dem Regenbogen aus Gen.  
IX. bekandt. Also werden Sonne und Mond oft zum  
Zeichen gesetzt Joel. II. 10. Also setzt unser Heyland selbst  
Sonnen und Monden Finsternisse zum Zeichen des jüngsten  
Tages Matth. XXIV. Sie machen Zeichen der Witter-  
ung an der Morgen- und Abend-Röthe/ an den halonibus,  
parheliis, u. s. w. Welches Urtheil unser Heyland Matth.  
XVI. nicht mißbilliget. Sie machen durch Hitze und Tro-  
ckenheit/ Kälte und Feuchtigkeit/ u. so. w. / auff den Erdbod-  
den und an dessen Früchten/ Zeichen der Güte/ und auch des  
Zorns/ der Barmherzigkeit und auch der Gerechtigkeit  
Gottes. Sie machen durch Hitze/ Regen/ und Gewitter/ daß  
der Mensch in seinem Orte verschlossen/ muß seine Schwachheit  
und Gottes Macht erkennen Hiob. XXXVII. Wenn  
wir also die Häupter auffheben/ und die himmlischen Zeichen  
betrachten/ so sind wir Gott gefällig/ so bleiben wir auch an  
Gott/ und erinnern uns seiner täglichen Wohlthaten. Und  
D darzu



darzu dienen uns die Physica und Astronomia: Die Astrologia aber judiciaria im geringsten nicht. Sed quid multis opus est verbis? Ipsi Astrologi nolunt stellas esse nuda signa, vim enim non significandi solum, verum etiam efficiendi illis tribuunt. Quare iterum vel propterea in hoc loco frustra quaerunt praesidium, cum hic tantummodo significandi vis stellis concedatur, non efficiendi: significandi quidem, non ea, quae Astrologi sibi fingunt, sed ea, quae supra commemoravimus.

§. XVII.

*Ad argumenta Adversario- rum posteriora re- spondetur.* Una fere est et eadem ratio reliquorum locorum supra citatorum, in quibus facile primum locum tenet ille Judic. V. v. 20., quippe qui omnium maxime, si quisquam alius, Astrologis favere videtur: *De Coelo dimicabatur cum illis, (sic verba fluunt,) sidera in curriculis suis pugnabant contra Sisseram.* Scilicet non ita interpretandus est hic locus, quemadmodum Astrologi volunt, quasi benignum aspectum praebuerint Israelitis stellae, eosdemque suo positu motuque, de victoria vere miraculosa, certiores fecerint, et influxu malignante Sisseram impediverint; sed eo sensu, quo alias, improprie loquendo, asserere solemus: *Der Himmel habe selbst wieder/ oder vor diesen und jenen/ gestritten.* Hunc scilicet sensum sine dubio intendit Spiritus Sanctus, stellas, imprimis Solem, cursum suum extra ordinem non quidem mutasse, at nihilominus vi illa, qua pollent, naturali, ventos excitasse Sisserae ejusdemque exercitui adversos, vel tonitrua, fulgura, grandines aut imbres, idque factum esse, Deo sic jubente et dirigente, ac tempestates supra modum augente. Reliquae aliorum interpretationes, quibus per sidera vel Deum ipsum, vel Angelos intelligunt, de quibus vid. Schmid. Com. in hunc loc., nec nobis, nec aliis usque adeo probantur. Quomodo autem cunqve explicetur hic locus, nihil iterum favet ineptis Astrologorum hariolationibus. Nec

Nec



Nec ille locus apud Matth. II. v. 9, 10. ad Astrologiam divinantem commendandam referri potest. Sive enim per stellam illam, quae Magis ex oriente extra ordinem apparuit, intelligatur proprie sic dicta stella sive figurata, perinde est: Motus certe ejus, caeteraque phaenomena omnia, miraculosam fuisse stellam, testantur. Quid autem miraculosa stella ad Astrologos? Quippe in quibus non desunt, qui modestiores sunt, qui nobiscum consentiunt, quod hic locus iterum impertinenter admodum ad Astrologiam commendandam adducatur. De caeteris ex sacro codice petitis locis, imprimis de illis quos addit Hannemannus ex Psal. L. XXIX. v. 6. Gen. XV. v. 5. Psal. XCVII. v. 6. etc., non vacat, sigillatim hoc loco ut disputemus. Omnia enim hujusmodi sunt, ut, vel nobis non monentibus, quisque facile intelligat, ex sacro codice refelli potius Astrologiam divinantem, quam confirmari. Ut rectissime judicaverit Sturmiius cit. loc. *Es wäre besser vor die Astrologos, daß sie die Hände gar aus der Bibel ließen / als aus welcher nichts vor sie kan erwiesen werden.* Non quasi omnes Astrologos arceret a lectione et scrutinio Scripturae Sacrae, quomodo Hannemannus Sturmii detorquet verba, sed potius, ne oleum et operam perderent, in quaerendis locis ex codice sacro, ad confirmanda sua commenta et fabulas.

§. XIIX.

Destituti Astrologi praesidio Scripturae Sacrae, ad *Quae ex* rationem confugiunt, ex qua tamen iterum refelluntur *ratione* magis, quam confirmantur. Supra modum vires extol-*desumunt* lunt et influxus siderum, ubi, quod recte Gassendus ob-*argumen-* servavit, primo loco Solis et Lunae vires, tanquam ma-*ta Astro-* gis evidentes, exponunt. Scilicet ut eo ipso in fraudem *logi, dilu-* et errorem inducant legentes, qui, tanta primum per-*untur.* specta Solis virtute, eandem deinde, et fortassis etiam majorem, caeteris planetis stellisque tribuant. Verum



enimvero, (ut mittamus illud, quod ipsi inter se disputent, utrum significandi vis, an efficiendi, an utraque simul sit adscribenda stellis, quod ultimum plerique asserunt,) vis illa siderum revera tanta non est, quanta illis conceditur ab Astrologis. Sol quidem tantum efficit in his sub Luna positis corporibus, quantum potest causa universalis, et quantum vel luce, vel motu, vel calore suo praestat. Sed quid haec ad eos effectus, quos Soli tribuunt Astrologi, qui sunt specialissimi, neque a luce, neque a motu, neque a calore Solis possunt derivari? Quod ad Lunam attinet, ea iterum, scilicet non directe et per se, sed indirecte et per accidens, omnino ea efficit, quae ab Astronomis et Physicis eidem cum ratione attribuuntur. Sed quomodo quae illa praestabit Luna, quae Astrologi eidem adscribunt, cum calorem in his inferioribus excitet prorsus nullum, et motu suo, ac luce, admodum debili, nihil quicquam eorum, quae volunt Astrologi, possit producere? Reliquae stellae errantes et fixae multo minus ea efficiunt, quippe quae denuo calorem nullum excitant in his inferioribus, et luce ac motu multo etiam debiliore, quam Luna, nos attingunt. Sed, dixeris, occulta fortassis gaudent qualitate sidera, qua illud, quod cupiunt Astrologi, efficiunt? Respondemus, illud vel ex hoc infringitur, quod Astrologi omnia determinant, certoque et sigillatim omnia circumscribunt, quomodo ergo occulta virtus erit? Aut, si occulta est, et semper fuit, unde quae constitit de eadem, vel constabit in posterum Astrologis? Dixeris iterum, ex diuturno rerum usu, observatione, et experientia? At enimvero, qualis in illis erit experientia, quae, uti ipsi fatentur, occulta, atque ab omnium sensu remotissima sunt, quae ficta omnia sunt et falsa? Nemo haec copiosius ac diligentius confutavit, quam Gasendus, cum alias, tum in primis loc. cit. cap. 5. integro, et ex eodem, aliisque, Johann. Chr. Sturm. in Philos. Elect. Disp.

Disp.



Disp. de influxu siderum, quos vel solos citasse, ne nos hoc loco iusto longiores simus, satis erit. Atque haec haecenus ad Astrologiam: nunc etiam, sed brevius, dicendum erit de caeteris, et primum quidem de Chiromantia. Hoc enim copiosius de Astrologia disseruimus, quo facilius etiam constet de caeteris, quippe quae in hac nituntur, iisdemque fere argumentis confuantur.

§. XIX.

Chiromantiam, (illam quidem Astrologicam et hodie receptam, vide Schottum in Magia Chirom. p. 658.) ut copiose describamus, & cum supra citato Hannemano in Linearem, Triangularem, Characteristicam, Arithmeticam & Kabalisticam, vel alia quadam ratione, dividamus, necessarium esse non existimamus, dummodo constet, et primum quidem, de eo, quod in Pseudo-Mathematicis sit numeranda, deinde, quod Christiano Philosopho sit indigna. De singulis sigillatim. Quod attinet ad primum, illud, magnam partem, ex superioribus jam intelligitur. Enimvero nititur Chiromantia in omnibus fere Astrologorum supra recensitis ac confutatis fabulis, tanquam suis in principiis, quare vel ex eo jam animadvertitur, quo loco sit habenda, vel collocanda, eodem scilicet loco, quo Astrologiam collocavimus. Id quod porro vel ex eo solo cognoscitur, quod Chiromantia tota, quantum quanta est, nullam prorsus tradit demonstrationem quantitatis Mathematicam. Quantitatem, fateor, Chiromantiae exponunt & linearum in manibus pedibusque hominum, et punctorum, et angulorum, et figurarum, sed sine omni prorsus ratione evidenti ac fundamento vero, quod proprium est Mathematicorum, verbo: Magno conatu magnas nugae tradunt. Quo minus nos miramur, eos, qui se totos his nugis tradunt, mente plerumque captos esse, aut varios in in omni genere vitae



et morum. Lineas alias volunt esse vitales, hepaticas  
alias, alias mensales, capitales item, vel Saturninas etc.,  
et montes alios Veneris, Jovis alios, alios Saturni, alios  
iterum Solis, Lunae, Mercurii, et Martis, ita quidem, ut  
horum omnium, vel positus, vel color, vel magnitudo,  
vel alia quaedam habitudo, alias bona sit, alias mala, imo  
etiam quandoque pessima. Quorum omnium si quis cau-  
sam quaerat & rationem, nullam possunt reddere, ne ve-  
ro quidem similem, Chiromantae. Quotus ergo quis-  
que est, qui istas ineptias, quarum plures commemora-  
re pudet, ad Mathesin referret, quae a probabilibus et-  
am rationibus abhorret, tantum abest, ut istas admitte-  
ret ac toleraret nugas, quibus saepissime se turpiter ad-  
modum dare solent Chiromantae, quando, mercede ple-  
rumque conducti, praedicunt illa de praeteritis et futu-  
ris, quae in casu posita sunt, vel liberrima hominum vo-  
luntate, vel solius DEI potestate. Omnes enim istae  
praedictiones in conjecturis nituntur & superius citatis  
fabulis, adeoque nulla ratione cum praedictionibus ve-  
re Mathematicis conciliari aut conferri possunt. Rectis-  
sime Coelius Rhodiginus. Lib. IX. in hanc sententiam  
*quid, inquit, de Chiromanticis dicemus, vel a quibus excogita-  
ta scimus in manuum volis septem montium supercilia, quae ce-  
lestes praeferaut planetas. Omnia esse acuta potius deliramenta  
& vanissimas vanitates, quam documenta, nemini non arbitror  
liquere. Cum quo prorsus coincidit illud Schotti, in Mag.  
Chirom. p. 658., quando, perditorum, inquit, hominum vi-  
tio, tanta superstitiosarum sordium eluvie, et tam foeda impio-  
rum vaticiniorum aspergine commaculata nunc est Chiromantia,  
ut vel solum ejus nomen horrorem incutiat; qui vero de ea scri-  
bere, eam defendere, vel leviter exercere attentat, tanquam im-  
pius, et malarum artium fautor ac patronus merito aestimetur.*  
Hinc et illud est, quod Mathematici prudentiores, quo  
magis et diutius versati sunt in vera puriorique Mathesi,  
tanto magis ab omnibus istis hariolationum generibus

ab-



abhorreant. Quando enim aliquid praedicunt, v. c. de coelo ejusque sideribus, ex causis veris necessariis ac infallibilibus omnia proferunt, non ex anilibus & ineptis fabulis Chiromantarum. Recte igitur opprobrium Matheſios eſſe Chiromantiam dixeris, ad Matæo-Mathemata referendum, nullo autem modo veram nobiliſſimæ Matheſios partem.

§. XX.

Indignam eſſe Chriſtiano Philoſopho Chiroman- *Chiromantiam* tiam, ex eo primum intelligitur, quod nihil niſi fabulas *Indignam* complectitur & nugas, in quibus nec verae, nec vero *eſſe Chri-* quidem ſimiles res, neque ullae morum doctrinae conti- *ſtiano Phi-* nentur, quales ineptae fabulae Chriſtianum non decent *ſoſopho, as-* Philoſophum. I. Tim. I. v. 4. IV. v. 7. Tit. I. v. 14. II. Petr. *ſeritur.* I. v. 16. II. Tim. IV. v. 4. Eph. V. v. 4. Deinde earum re- rum homini adſcribit Chiromantia cognitionem, quarum investigatio interdicitur Chriſtianiſ, & quarum ſcientiam ſoli putamus Deo tribuendam. Ita, v. c. mortis horam, imo et mortis genus, omnibus praedicunt Chiromantae, cujus tamen perveſtigationem ſoli Deo vindicamus ſecundum Job. XIV. v. 5. 6. ut caetera, quae ſunt innumera, taceamus. Poſtea non multum differt a magicis aliis quibusdam praedictionibus et artibus diabolicis Chiromantia, quas ipſi Chiromantae prohibitas eſſe ultro profitebuntur. Hoc unum intereſt, quod divinationes illae magicae in colluſionibus Daemonum apertis, at Chiromantarum in meris nugis et fabulis, innitantur. Vid. Delrion. in Diſquiſit. Mag. paſſim, imprimis Lib. IV. q. 5. et 6., item Schottum in Mag. Chirom. cit. loc. Eſt praeterea Chiromantarum ars proſus inutilis et maxime pernicioſa, non quidem ex accidenti, quod etiam cernitur in rebus quandoque optimis, ſed per ſe. Inutilem eſſe, ipſi modeſtiores Chiromantae, quorum tamen exiguus eſt numerus, ingenuè profitentur, quando artem ſuam nullam aliam ob cauſam commendant, quam quod jucunda ſit, et ad voluptatem ſeu oblectan-

ctan-



standos alios, perdiscatur. Quasi vero ea, quae jucunda sunt, statim etiam sint commendanda, praesertim Christiano Philosopho. Perniciosam esse Chiromantiam, inde deducimus, quia deterret animos hominum atque avocat non tantummodo a verae Philosophiae studio, ad ineptias et inutiles anilesque fabulas, verum etiam a vera pietate et virtutis studio ad superstitionem, otium, confidentiam, arrogantiam, stultiam, &c., quorum omnium aliud alio gravius est malum. Quid enim aliud est quam stultitia et superstitio, illarum rerum causam veram, vel certe documenta et signa infallibilia, velle quaerere in manuum lineis punctisque, aut angulis, vel figuris, quae revera positae sunt in solius DEI potestate, in casu, in hominum libera voluntate &c. Ex Matth. VI. et aliunde ex sacris constat de officiis Christianorum, non debere eos de futuris sollicitos esse more Gentium, ne de futuro quidem et consequenti die, sed DEO confidere, eidemque suas commendare vias, et ceteroquin pietati et virtutibus operam dare. At Chiromantae, ut de futuris solliciti simus, et Chiromanticis istis confidamus praedictionibus, aliquando etiam ut metuamus, inepte juxta et inique postulant. Vel si illud non requirunt, aut vere intendunt, ut fidem adhibeamus, quorsum tandem omnia tam diversa et sibi ipsis contraria, tam audacter et confidenter praedicunt? Quare tantum temporis volunt, ut perdamus in adiscendis nugis, quas postea sanioribus & prudentioribus absque rubore referre non licet, cum Philosophia vera latisime pateat, ad quam addiscendam vix aetas ipsa hominum sufficit? Ut mittamus caetera, illud unum tantummodo subjungemus, quod Chiromantae, suis istis praedictionibus, et confidentes, seu audaces, et meticulosos, seu scrupulosos, omnes, perdant, et sibi ipsis noceant. In confidentibus audaciam, in scrupulosis metum augent: sibi autem ipsis nescio, quos honores magnos, quos montes aureos &c. pollicentur, et sic mirifice decipiuntur. Quod ipsum sine dubio fit



fit DEO sic jubente, ut, quae sperant, bona non asse-  
quantur, et quae non metuunt, mala consequantur, quia  
Ethnicorum more fabulis & superstitiosis nugis confi-  
dunt magis, quam veritati.

§. XXI.

Frustra hujus vanissimae artis suae praesidium quae- *Argumen-*  
runt Chiromantae in illo Jobi XXXVII. v. 7. *In manu tua Chiro-*  
*DEUS omnes obsignat homines, ut cognoscant omnes opera ejus manuum*  
*vel, interprete Divo nostro Luthero, Alle Menschen hat rum refel-*  
*Gotte in der Hand als verschlossen/ daß die Leute lernen was luntur.*  
*er thun kan.* Nimirum ex illis, quae textum antecedunt  
et consequuntur, hic verborum sensus esse intelligitur,  
quod DEUS, tempestates, tonitrua, fulgura, imbres, pro-  
cellas, et turbines excitando, non solum bestiis, verum  
etiam hominibus terrorem incutiat, ut illae in cavernas  
terrae et speluncas suas se recipiant, hi vero in inferio-  
res aedium partes sese abdant. Quomodo DEUS ho-  
mines quasi manu comprehensos et inclusos, seu ob-  
signatos dicitur tenere, ut ejus potestatem, velint, nolint,  
agnoscant et postea depraedicent. Sed, inquirunt Chi-  
romantae, DEUS et natura nihil faciunt frustra, qua-  
re cum videamus omnium hominum manus admodum  
discrepare lineis, punctis et figuris, frustra, intelligitur,  
id factum non esse? Respondemus, si quem concede-  
remus finem harum linearum, scilicet. communem illum,  
quem Physici exponunt ac Anatomici, quem hae lineae  
habent communem cum reliquis ductibus in toto fe-  
re humano corpore apparentibus, quid inde conclude-  
retur ad defendendas Chiromantarum praedictiones? Sci-  
licet a communissimo illo fine, qui naturae est conve-  
niens, ad speciales illos, et tot fabulis circumscriptos fi-  
nes Chiromantarum non valet consequentia. Ubi enim,  
quaeso Deus & natura ostendunt, hunc esse Montem Jo-  
vis, illum Martis, alium Saturni etc.? Quid Marti, quid  
Jovi et Saturno commune est cum istis montibus? At,

E

in-



inquirunt, usus ita docuit et diuturna observatio, seu experientia. Respondemus: Lunae, Marti, Saturno, Jovi, etc. nulla vis inest ea significandi, quae illis tribuunt Chiromantae, quod et argumentis et experimentis jam supra est confirmatum, unde ergo montibus his tanta vis inesset? Quare v. c. montem Saturni speciatim attribuunt senibus, futoribus, aurigis etc., item vineis, pratis, agris etc., item in corpore humano, vesicae, dentibus & auri dextrae? Quam ridicula haec sunt et lepida, ne quid gravius dicam? Quis haec talia Chiromantas docuit, num usus, an observatio, an inepta, nescio quorum, persuasio? Imo vero sic est, (uti Gassendus & alii de Astrologis docent) nihil Chiromantis magis est adversum, quam usus et experientia. Hac enim potissimum constat, quam turpiter se dent Chiromantae cum suis istis praedictionibus, quarum eos postea ipsos, siquidem falsis aliquid superest in illis, pudet. Demus, quaedam sic evenire, quemadmodum Chiromantae secundum suas praedicunt conjecturas: Casu illud fit, et DEO sic permittente, propter hominum, qui praedictionibus Chiromantarum confidunt, superstitionem, cujus merito DEUS poenam sumit. Sed praestat ad reliqua, quae supersunt, progredi, quam his de Chiromantia hactenus disputatis diutius inhaerere.

§. XXII.

*Geomantiam in Pseudo-Mathematicis numerari debere, affirmatur.* Geomantia et Ars Punctoria, quia eodem loco sunt habendae, hoc est, nullo, plerumque conjunguntur, etiamsi non nihil revera differant. Nobis satis est, quod in eo conveniant, quod utraque ad Pseudo-Mathemata pertineat, et ad illas artes, si quidem artes dicendae sunt, quae Philosophum Christianum quam maxime dedecent. Quomodo autem cunqve discrepet a Geomantia Ars Punctoria, in eo genere tamen quam maxime conveniunt, quod utraque dicitur esse ars, vel, (sed admodum incongrue) scientia, quae mens hominum pura a peccatis et vacua a curis,

curis,



curis, sollicitudinibusque omnibus, et quasi per ecstasim  
a corpore, certe ab usu sensuum, separata, nescio, quot  
lineolas, puncta et figuras, vel stylo et baculis in terra  
quadam compacta, aut tabulis, vel calamo in chartis for-  
mat, atque ex illis certa ratione cum planetis multis mo-  
dis & ordinibus conjunctis et permutatis, postea omnia  
omnibus praedicit, quae captum hominis alioquin lon-  
gissime excedunt. Utramque ad Mataeo-Mathemata  
pertinere, inde primum intelligitur, quod magnam par-  
tem fabulas probat Astrologorum, et in illis, quod atti-  
net ad quaedam capita, tanquam in fundamento suo, ni-  
titur. Deinde nullas prorsus addit suarum praedictio-  
num demonstrationes, ne minimam quidem. Mentem  
humanam, Geomantae docent, sibi relictam, nescio, qua  
virtute instructam esse, et per ecstasim, vel per aliud  
quoddam principium commune ita dirigi ac moderari,  
ut possit formare et pingere, nescio, quot et quantas li-  
neolas, et quot puncta in terra, tabulis aut charta, et ex  
his iterum punctulis, tot ac tam discrepantes figuras, ex  
quibus postea omnia possint omnibus praedici, tanquam  
ex speculo. Sed enimvero, quis vel lineolis istis, vel  
punctulis, vel figuris, vel etiam animis hominum tantam  
inesse vim divinandi, credet Geomantis? Quis com-  
menta hujusmodi et ineptias ad Mathesin referret? In  
qua ex veris, immotis ac evidentibus rationibus omnia  
demonstrantur. Imo vero usque adeo inepta omnia  
sunt et ficta, seu falsa, per universam Geomantiam et Ar-  
tem punctoriam, ut illud ingenue profiteantur, etiam illi,  
qui his artibus alioquin favent, vel easdem etiam ali-  
quando literarum monumentis explicuerunt. Theo-  
phrastus Paracelsus, incertam alias appellat Geomanti-  
am, alias perversam artem esse docet, alias easdem omni-  
bus dissuadet. Cornel. Agrippa L. I. de Occ. Sci. Cap.  
XXVII. de Divinatoribus in genere: *Physiognomia in-  
quit, Metoposcopia, Chiromantia & Geomantia artes sunt ad*



divinandi quæstum præparatae, omnes nullius solidæ doctrinae sunt, nec ullis certis rationibus constant, sed de rebus occultis, aut fortuito, sorte, aut spiritus agitatione, aut apparentibus quibusdam conjecturis inquirunt, quæ ex observationibus quotidianis sumtæ sunt. Solent enim omnes illæ divinationum prodigiosæ artes non nisi experientiae titulo se defendere. Item. Cap. XIII. de Geomantia, scripserunt, inquit, de Geomantia ex antiquioribus, Hali, et ex recentioribus Gerb. Cremonensis, Barthol. Parmensis etc. Scripsi et ego quondam Geomantiam ab aliis longe diversam, sed non minus superstiosam fallacemque, aut, si vultis, dicam etiam, mendacem. Valentinus Weigelius in Praef. ad op. suum Geomant. Was Theophrastus Paracelsus, inquit, von diesen 4. Künsten Pyromantia, Hydromantia, Chaomantia, vel Aeromantia et Geomantia, halte / kanst du lesen in seinem Buche Artes Praesagae tituliret. Er heist sie artes incertas, einmahl sind sie wahr / neunmahl erlogen. Es liegt alles an den Geiste. Der nun einen verlogenen Geist hat / der trifft auch einmahl und neunmahl fehlt er / denn er wird von den Geiste betrogen / der ihm die Hand und die Kreide nicht recht geführet hat. Haec causa est, quamobrem apud Schottum in Mag. Univ. P. IV. l. VI. ubi omnia prope modum divinationum genera recenset, Geomantia in illis numeretur divinationibus, quæ diabolicæ sunt et maxime illicitæ. Atque adeo hinc illud est, quod multos, qui hodie aliquid in his artibus perscribunt, pudeat palam nomina profiteri sua, quando libellos suos sine additis veris nominibus inscribunt. Valeant itaque cum istis suis artibus, in quibus præterea exponendis adeo discrepant et sibi ipsis adversantur, ut illud dici satis non possit. A Mathematicis disciplinis et ipsis Mathematicis, Geomantæ et Artis punctoriae defensores cum suis moribus, longissime abhorrent.



Neque vero adeo difficile erit ostendere, utram- *Geomantia indi-*  
 que hanc artem, et Geomantiam, et Artem punctoriam *ria indi-*  
 Christianum Philosophum non decere. Ut illud omit- *gna dici-*  
 tamus, quod nihil nisi nugas, anilesque fabulas comple- *tur esse*  
 ctatur, quae homini Christiano maximum dedecus affe- *Philoso-*  
 runt, illud imprimis animadvertendum putamus, quod *pho Chri-*  
 tota, quanta quanta est, utraque haec ars sit superstitio- *stiano.*  
 fa, qua homines a vera pietate ad ineptas quasdam per-  
 fvasiones, a vero DEO, ad, nescio quos, Spiritus avocan-  
 tur et vehementer perturbantur. Habemus in eo de-  
 nuo confitentes reos Geomantas ipsos. Sic enim Wei-  
 gelius supr. cit. loc. **Wer/ inquit, Gott nicht vers-**  
**trauen will/ der fraget und forschet künfftige Dinge/**  
**durch diese artes incertas, er wird von Göttlichen Dins-**  
**gen abgehalten durch die lügenhafftigen Geister/ die da**  
**solche Künste erfunden und erdichtet haben. Es liegt alles**  
**an den Geiste/ welcher einen günstigen Geist hat/ und nicht**  
**Gott vertrauen will/ der, giebt einen guten Sortilegi-**  
**sten/ dieser Geist kan nicht reden/ darum redet er durch**  
**die puncta, und eröffnet den Menschen oftmahl/ was**  
**er begehret/ nur zu den Ende/ daß er sich um Gott nicht**  
**bekümmere: Et paucis interjectis: Die Geomantie**  
**hat keinen gewissen Grund noch Boden/ und eröffnet**  
**doch oftmahls gewisse Dinge: Es ist auch eine super-**  
**stition darzu geschlagen etc. Volunt enim alii, ut no-**  
**ctu, in tenebris densissimis, alii, ut interdiu, et quidem**  
**coelo admodum fereno, hujusmodi punctatio et divi-**  
**natio instituat, precibus ante peractis, et vultu ad**  
**orientem solem directo etc., quae omnia magnae super-**  
**stitionis argumenta sunt certissima. Haec causa est,**  
**quamobrem in Academiis quibusdam hae artes prorsus**  
**interdictae sint, ne palam aut publice a quoquam expo-**  
**nan-**



nantur vel doceantur, quem morem nos vehementer comprobamus. Sunt enim omnes homines, praesertim juvenes, semper natura proclives, a veritate ad mendacia amplectenda, a vera pietate ad omnis generis artes superstitiosas admittendas et adamandas, propter nimiam cupiditatem futura cognoscendi. Sic vero persuasum nobis prorsus est, fieri deinde illud secundum singularem DEI vindicis justitiam, ut, qui his artibus se totos dederunt, adversa plerumque utantur fortuna, et duris admodum ac inopinatis casibus excrucientur, ut luant dignam suae stultitiae poenam. Quandoque etiam incidunt in tentationes graves, atque ex superstitione alia in aliam, ex quibus postea aegre admodum liberantur, vel seipsum expedire possunt.

§. XXIV.

*Metoposcopia ex numero scientiarum Mathematicarum excluditur, et breviter strictimque confutatur.*

Reliquum nunc esset, ut eadem diceremus ratione et ordine de Metoposcopia. Sed vero, cum iisdem prorsus argumentis nobis opus sit, quibus supra jam usi sumus, ad demonstrandum illud, quod et haec disciplina vel ars ad Pseudo-Mathemata referri debeat, indignaque prorsus sit Philosopho Christiano, hoc nunc labore merito superse- demus, praesertim cum jam in superioribus justo forsam fuerimus longiores. Interea breviter strictimque illud tantummodo observamus, quod haec ars majorem speciem prae se ferat veri, quam superiores hactenus confutatae divinantes artes. Sic enim omnino vero videtur esse simile, ut ex vultu et reliqua corporis habitudine ad mores hominum inquirendos optime possis concludere. Quamobrem si per Metoposcopiam nihil aliud intelligeretur quam hujusmodi disciplina, qua doceremus, ex vultu hominum, et reliqua habitudine totius corporis, probabiliter judicandi de moribus hominum, et indole eorum, esset Metoposcopia non quidem pars Matheseos, sed prudentiae Moralis vel civilis, neque a nobis, tanquam Christiano Philosopho indigna rejiceretur. Est enim vultus quasi index animi, et reliqua corporis habitu- do

do



do collata cum actibus externis, v. c. cum risu, gressu, sermone, vestitu etc., est quasi testis eorum, quae latent in mentibus hominum, sive virtutes intelligas, sive vitia: quod ipsum in sacris etiam videmus passim satis esse confirmatum. Eccl. VIII. v. 1. Prov. VI. v. 12, 13, 14. XVII. v. 24. Sirac. XXVI. v. 12. Verum, cum per Metoposcopiam longe aliud quid intelligant artis hujus defensores, scilicet hujusmodi artem, cujus ope omnia possint praedici, quae futura et fortuita sunt, et posita vel in solius DEI potestate summa, vel hominum voluntate libera, idque ex lineis in vultu humano apparentibus, varie admodum mensuratis, ac collatis cum planetis, eorundemque influxu, et nescio ex quibus punctulis aliis; propterea Metoposcopiam non solum in Pseudo-Mathematis numeramus, verum etiam in illis artibus, quae Christiano Philosopho maxime sunt indignae. In quam sententiam recte Schottus, in Mag. Univ. P. IV. L. VII., *Quod, inquit, olim Philologia contigit universae, propter imperitorum Sophistarum multitudinem, ut ejus dignitas defloresceret: Idem Physiognomiae obtigit, ut propter, nescio quos, Physiognomos, omnia temere, et nihil cum ratione affirmantes, nunc tota vana sit, et omnis experta non solum rationis, verum etiam probabilitatis, adeoque excludenda ex partibus Philosophiae. Vid. etiam Epilog. Mag. Physiognom. ejusdem.* Atque hoc illud ipsum est, quod supra diximus prorsus iisdem argumentis posse confirmari, quibus demonstravimus vel Astrologiam, vel Chiromantiam, vel Geomantiam ad Mataeomata referendam, et indignam esse Philosopho Christiano. Quare actum non agemus, sed ad finem potius properantes breviter etiam dispiciemus de illis artibus, quae in principio secundum Hannemannum artes secretae licitae dicebantur.

§. XXV.

Has artes secretae licitae citatus Auctor ipse sic describit, *De divinationibus quibusdam se-*  
quod sint hujusmodi, wovon die Welt nichts weiß/ sondern  
nur etliche Gottergebene Menschen/ welche da eine reine Seele  
und unbestecktes Gewissen haben/ deren Fundament ist ein eif-  
serig



*cretis et  
artibus  
mysticis  
disputa-  
tur.*

ferig und ernstlich Gebet zu Gott. Pergit etiam de illis: Zu dem ist es auch besser / daß dergleichen artes divinandi, mysticae und unbekandt bleiben / damit man nicht Perlen vor die Säue werffe / ist auch nichts davon geschrieben / sondern bestehen bloß in traditionibus. In his verbis perquam obscuris Leon. Chr. Sturmius existimabat intelligi eam artem, quam Crusius describit in Lucubr. de nocte et nocturnis officiis Cap: XXI. n. 9. Sed negat eam se intelligere Joh. Ludov. Hannemannus in Contin. I. Apol. Astrol. p. 58. neque tamen ibidem, quid velit intelligi per artes illas divinandi mysticas et secretas, vel unico verbo explicuit. Nobis perinde est, quascunque demum hic supra citatus autor intelligat artes divinandi, dummodo illae non sint huiusmodi, quales fuerunt haecenus confutatae, vel etiam deteriores, ut eas postea referre debeamus in earum numerum artium, quas Christiano Philosopho maxime indignas diximus. Quod ipsum cur metuamus, omnino magnam habemus causam. Quid enim illud est, quando docet et postulat, ut ardentibus Deum fatigemus precibus, ut largiatur nobis donum artium quarundam divinantium, et nescio, quot, et quarum rerum praedictiones? Quid illud significat, quando has artes mysticas et nemini cognititas esse docet, nisi hominibus magna pietate conspicuis? Et quid tandem illud sibi vult, quando meris traditionibus has docet artes contineri? Nobis non persuasum est, nec a quoquam persuadebitur, huiusmodi quid esse admittendum, cum propter rationes alias gravissimas, tum vero inprimis propter corruptos seculi atque aetatis nostrae mores, secundum quos videmus multos esse, qui per eximiam pietatis simulationem, nescio, quas artes divinantes sibi tribuunt, quae plenae sunt superstitionis, et impietatis maximae. Quamobrem! ut tandem, quales admitti possint artes divinandi, constet, sequamur illam regulam, qua utitur Delr. l. 2. Disq. Mag. quae est. 5, et Schottus in Mag. Univ. P. I. p. 28. *Ubi, inquit, nec miraculi, nec naturae vis, nec artis solertia inveniuntur, magicus effectus est Christiano Philosopho indignus.*

F I N I S.



NOBILISSIMO CLARISSIMOQUE,  
DN. CHRISTIANO  
SIGISM. Röhrensee /  
EXQVISITO GENERE DOCTRINAE,  
SANCTIORIS EXEMPLO VITAE, ET EGRE-  
GIIS INGENII DOTIBUS, PRAESTAN-  
TISSIMO,  
RESPONDENTI SUO,  
S. P. D.  
PRAESES.

**D**uo sunt, quae ad perficiendas  
artes plurimum valent, summa  
quasi genera studiorum, eaque  
multum diversa, Clar. Respon-  
dens: In augendis alterum, alterum in  
emendandis scientiis est positum. U-  
trumque magnam laudem affert, et ma-  
jorem aliquando laudis contentionem.  
Sunt enim artes aliae, in quibus multa  
desiderantur, ubi accessione opus est:  
aliae, quae extra modum augentur il-  
lis partibus, quae usum non habent,  
et nocent, ad quas tollendas correcti-  
one opus est. Illud plures, hoc pau-  
cio.

cio.



ciores, utrumque summos semper Philosophos occupatos tenuit, qui immortalam nominis sui gloriam inde sunt consecuti. Quare cum superioribus his diebus intelligerem, te posteriorum exempla imitari Philosophorum, atque ad corrigendas artes Mathematicas vulgares, vel ad accusanda potius atque excludenda Pseudo-Mathemata, animum applicuisse, non potui, quin magno illud opere probarem. Nunc etiam gratulor, et primum quidem mihi, quod hujus tui operis participem me esse volueris et socium, quem alioquin jam dudum, et convictus suavitatem, et officium, et benevolentiam multis signis, nulla autem voluntatis simulatione, quam in aliis vehementer odi, obstrictum tenes. Deinde et tibi gratulor, quod tam egregium doctrinae atque ingenii specimen dare volueris. Gravis est controversia,

fia,

10



fia, ut iudicat Vosius in Tr. de Scient.  
Math. c. 38i., quam dirimendam susce-  
pisti, quae ad corruptos mores aetatis  
nostrae corrigendos spectat. Quare  
hoc potissimum in tua laude pono,  
quod ea expedienda susceperis, quae  
desiderata sunt et grata multis, quae  
conducunt ad iucunditatem non mi-  
nus, quam commoditatem. Quo ipso  
ostendis, futurum esse, ut magnam il-  
lam, in qua es, expectationem non tam-  
tummodo sustineas, verum etiam ali-  
quando vincas. In quo nihil tibi ex  
observatione siderum praedico, nihil  
ex manuum, vultusve, lineolis aut pun-  
ctulis auguror, quod ineptum esse, re-  
cte iudicas. Sed ex patriis virtutibus,  
quibus tu multos alios antecellis, quic-  
quid praenuntio, conjicio. Pruden-  
tissima sunt Excellentissimi Parentis  
tui, (cui etiam me observantia perpe-  
tua, et magnis beneficiorum vinculis  
obstri-



obstrictum puto,) consilia, quae tu facillime admittis omnia, et in posterum feliciter explebis. Ex his conjecturam ipse facis, summam scilicet esse tui expectationem, hoc est, ea a te expectari, quae a summa virtute, summoque ingenio, expectanda sunt. Caeterum de Pseudo-Mathematicis et horum Defensoribus recte existimas. Ego cum Ricciolo, ex Almagest. Nov. praef., sic opinor, esse eos id genus hominum, quod, ut ait Tacitus, **SEMPER IN VRBE VETABITUR, ET SEMPER RETINEBITUR**, (dixisset rectius in Orbe,) qui licet millies falsi et fallentes, si semel aut iterum casu, non arte, divinarint, plus famae lucrantur, uno temeritatis successu, quam infamiae tot apertissimis mendaciis. Neque enim, sicut Medicorum errores terra tegit, sic etiam Astrologorum errores coelum tegit, quin manifestae falsitatis convinci possint. Valeant igitur cum praedictionibus suis omnibus. Tu autem macte illa tua virtute, et me, ut facis, ama.

-inflo